



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et
Sexto Decretalium Continentvr

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Regvla LXXIV. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in
exemplum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

possunt, quinon Imperatorum, sed Pontificum placita & decreta complectimur. Itaque si cum Regula nostra non concordant, pro non dictis habemus, & juris profani studiosis commendamus. *V. Surd. Consil. 12 §. n. 11. Iean. Bapt. Costa. de facti scien. & ignor Vinc. Ca roc. decis. 58 n. 13. Barbosa. Axiom. 93.*

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

I. **A** Particulari ductam consequen iam claudicare jam adolecentes norunt, qui in primo limine dialectices consistunt: sit nihilominus, nescio quo corrupti appetitus impetu, ut cum Martha contra Mariæ quietem conqueramur, nihil aliud audituri, quam *turbaris nimium*. Soli Iosepho polymita convenit, solius Davidis in medio fratrum suorum regalis unctio est. Nec alia exempla desunt nobis. 1. Si speciali privilegio, ait *Peckius*, Regi nostro indultum sit, ut electioni Prælati se se admiscere, eidemque interesse possit, ne fortè seditio aliqua oriatur, hoc ab aliis regibus, & principibus in exemplum trahi non debet. 2. Quod *Zacharias pontifex* confirmat, scribens Bonifacio Moguntino Archiepiscopo. Ea hora, inquit, quæ te de præsentis sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus. *c. Petisti 7 q. 1. 3.* Si ex gratia speciali Pontifex alicui concessit, ut possit habere plura beneficia curata, vel per procuratorem visitationem facere, vel absque residentia percipere omnes redditus beneficii, hoc ab aliis trahi non debet in exemplum, sed jus commune servari, quod est per omnia supradictis contrarium. Item si concessit alicui, quod non teneatur subire munera publica, vel solvere decimas, quia fortè in aliqua re prosperè, ac virtuosè se gessit, hoc similiter trahi non debet in exemplum sed jus commune servari. Et hoc est quod vult regula, probaturque *ff. de Constitut. l. 1. v. si plane ex his & c. de Decur. l. Neque Dorotheum. & l. Nullus lib. 10. & de ep. & cler. l. quomam. Ita Dynus.*

II. Ratio verò manifesta est. Privilegia, & dispensationes non conceduntur absque prævia causæ discussione. *Gloss. recepta in c. Requiritur. §. Nisi rigor. l. q. 7. & ius singulare constituunt. l. in singulare. ff. de legib.* Vnde sequitur, iudicium, & decisionem superioris non nisi ad præsentem casum respicere, & satisfacere illi solum, qui hic, & nunc petit exemptionem. Cum ergo per eiusmodi concessionem non commune jus, sed particulare, seu singulare constituatur, regulæ nostræ observantia necessaria est, ut non trahatur in exemplum seu

consequentiam, quod uni alicui gratiosè concessum est. Reliqua v. in Reg. superius explicata 7. & 28. & qua tradunt Alexand. in l. Non tantum. ff. de re iudic.

Iason in l. ult. à num. 38. ff. de Constitut. Princip. Rebuff. in Praxi. tit. de Differ. inter rescript & privileg. n. 6. & seqq. Bronchorst. Centur. 4. Assert. 90.

REGVLA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præsstitutum servare recusat.

L Via in omni contractu tacite inclusa est hæc conditio, *Modò altera pars non fefellerit*, consequitur, ut una parte non servante fidem, ad eandem servandam altera non teneatur. Quemadmodum in simili dicimus. Frustra implorat auxilium legis, qui in eam committit. l. Auxilium. ff. de minor. b. Item ex eo, quòd quis subvertere nititur, lucrum non consequitur. Reg. 38. supra.

Exempla *Glossæ* sunt, 1. Sicut Vassallus debet fidelitatem domino suo, ita dominus debet esse fidelis vasallo: & sicut vasallus privatur feudo propter infidelitatem, commissam in dominum, ita dominus privatur superioritate. Et hoc quotidie fit. Nam quando dominus supprimit vasallum, princeps eximit vasallum à jurisdictione domini. c. de forma. 22. q. 5. Hoc posito si princeps aut dominus opprimendo non servavit fidem, frustra exigit, ut ego servem.

2. Non astringitur quis juramento ad implendum, quod juravit, si ab alia parte non impletur, cuius respectu præstitit juramentum. c. Per venit. de iur. reur.

3. Quandounque pacto inito ab eus observatione, ac fide unus pacitenti um deficit, in altero perit obligatio. l. Cum proponas. C. de pactis. Quod confirmatur ex c. Si a subiectus. Dist. 95. ubi aurea hæc s. Hieronymi verba. Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos quasi clericos, ut & ipsis à clericis quasi episcopis honor deferatur. Scitum est illud Domitii Oratoris. Cur ego te habeam, ut principem, cum tu me non habeas, ut senatorem? Quod Aaron. & filios ejus, hoc episcopum, & presbyteros esse noverimus.

II. *Amplia 1.* Quamvis in minimo fides læta sit: quemadmodum, si de solutione nummus desit, venditor retinere rem venditam potest. l. Iulianus. §. offerris ff. de act. empti. nisi fortè præsumi queat ad istiusmodi minutiam partes noluisse attendere.

Amplia 2. Licet adversarius per equipollens satisfacere vellet, quemadmodum eleganter explicat. Iason. l. 3. conf. 41. Conventum est, ex. gr. ut emptor deponeret pecuniam apud Titium, ipse verò deponit apud alium æquè

Cc ido.